



DE 1794
IVSTIS LIMITIBVS ~~1608~~
LEGE ANASTASIANA 10
NOMINIS CESSIONI POSITIS
SPECIMEN

QVOD
ILLVSTRI IVRECONSVLTORVM ORDINI
IN ACADEMIA HELMSTADIENSI
PRO
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS OBTINENDIS
MENSE NOVEMBRI A. C. MDCCLXXXI.
EXHIBVIT
IOANNES CHRISTIANVS SCHELE
ADVOCATVS CELLENSIS.

HELMSTADII
LITTERIS C. G. FLECKEISEN, TYPOGR. ACADEM.
MDCCLXXXIV.



DE
IVSTIS LIMITIBVS
LEGE ANASTASIANA

NOMINE REGIS
SPECIMEN

ORDO
HABITVS INVESTITORVM CIVIVM
IN ACADEMIA THEOLOGICA
1750
SUMMVS IN IVRE HONORIBVS OBTINENDIS

MENS NOVEMBER A. C. MDCCLXXV

AVGVSTVS
IOHANNES CHRISTIANVS SEIBER
ADVOCATVS KILLENIS

HEILSTADT
ACADEMIA THEOLOGICA
REGIA



 CONSPECTVS.

 A. *Generatim* de cessione, eiusque natura et effectu.

- §. 1. Notio cessionis.
- §. 2. Varia cessionis diuisio.
- §. 3. Ius cessionis obnoxium.
- §. 4. Personae in cessione occurrentes.
- §. 5. Quis valide possit cedere.
- §. 6. In quem fieri possit cessio.
- §. 7. Casus prohibitae cessionis.
- §. 8. Effectus cessionis.
- §. 9. An cessionarius fruatur beneficio cedentis.
- §. 10. Exceptiones intuitu creditoris competentes.
- §. 11. Cedens, facta cessione debitori adhuc incognita, non prohibetur exigere debitum cessum, quod autem cessionario restituere compellitur.
- §. 12. Quousque, facta cessione, vrgeri possit exceptio compensationis.
- §. 13. Transitus ad partem specialem.

 B. *Speciatim* de lege Anastasiana, quatenus cessio nominis per illam limitata fuerit.

- §. 14. Occasio legis remota in lege Cincia quaerenda. *Conditio clientum et patronorum ante L. Cinciam.*
- §. 15. Ratio legis Cinciae.
- §. 16. Honorarium sub imperatore Claudio introductum.
- §. 17. Occasio proxima legis Anastasianae, eiusque argumentum praecipuum.
- §. 18. Nominis venditio vt subsistat, contractus emtionis venditionis qualitates existere debent.

- §. 19. Ut in nominis venditione L. Anastasiana locum obtineat, requiritur speciatim, a) vt venditio facta fuerit viliori pretio;
 §. 20. b) vt emtor venditorem induxerit ad subeundam cessionem.
 §. 21. Legem Anastasianam et in nominibus indubitatis obtinere, verior est sententia.
 §. 22. Superfluum, nomine pro viliori pretio vendito, ad quem pertineat.
 §. 23. Iustinianus legem Anastasianam auxit nouo capite.
 §. 24. Cessum nomen, licet in formam cambii redactum, non semper excludit exceptionem legis Anastasiana.
 §. 25. An in cambio cesso lex Anastasiana sibi locum vindicet.
 §. 26. Casus, in quibus exulat lex Anastasiana, recensentur.
 §. 27. Cessionario incumbit probatio, se iustum soluisse pretium.
 §. 28. Defenditur vsus modernus legis Anastasiana.

DE
IVSTIS LIMITIBVS LEGE ANASTASIANA NOMINIS
CESSIONI POSITIS.

Quemadmodum multa iuris ciuillis capita difficultatibus haud exiguis laborant, dum aut ipsae legum sanctiones non satis perspicuae sunt, variisque interpretum explicationibus locum dederunt, aut quaestiones proponi possunt, quarum solutio non ex legum verbis, sed ex mente illarum atque analogia repetenda est, aut denique vsus fori nostri rectaque peregrini iuris adplicatio in dubium vocari potest; ita etiam lex Anastasiana de nominum cessione, celebris illa quidem ac peruulgata in iure Romano, tot tantasque interpretum dissensiones peperit, siue rationem illius consiliumque spectes, siue vsum et adplicationem consideres, vt enumerandis illis explicandisque multum et temporis et industriae impendendum sit. Etsi vero non defuerunt docti viri, qui aut integrum locum de industria tractandum sibi sumerent, * aut obiter tantum de ea re exponerent, ** aut singulas quaestiones

* In his nominasse sufficiat GE. BEYERVM *Diff. de L. Anastasiana, Vit. 1711. et in Opusc.* FR. VLR. PESTELIYM de cod. arg. *Rintel.*

quaestiones huc pertinentes resolverent; * ob argumenti tamen indolem atque vtilitatem hac data scribendi opportunitate, quum ad summos in iure honores ab illustri ICTorum Helmstadiensium ordine consequendos specimen aliquod publice proponendum fuerit, causam retractare, meamque de variis locis ad illam spectantibus sententiam dicere, haud dubitavi. Ignoscent, qui haec legerint, veniamque dabunt, si non omnem materiam, at potiora eius capita pro ingenii scientiaeque modulo, rebusque forensibus quotidie occupatus, breuiter tantummodo tradam, nec absoluta sit ac viris doctis omnino probanda ista qualiscumque exercitatio. In qua quidem ita versabor, vt, praemissis iis, quae de cessione generatim in rem meam dicenda existimo, speciatim cessionem nominis lege Anastasiana restrictam vsurque doctrinae forensis paucis exponam.

tel. 1732. IO. AVG. BACHIVM Ex. de L. Anastasiana, Lips. 1755. et in Opusc. a C. A. Klotzio. Hal. 1767. edit. et IO. CHR. ERN. SPRINGERVM Comm. de cessione nominum minori pretio facta, pro nulla ex L. Anastasiana habenda. Frf. 1779.

** Veluti IO. VLR. DE CRAMER Obsf. iur. uniu. Tom. I. obs. 287. Tom. II. P. I. obs. 548. P. II. obs. 630. FR. ES. A PVFENDORF Obsf. iur. uniu. Tom. I. obs. 204. et STRVBEN rechtl. Bedenk. Tom. IV. n. 190.

* Veluti PAVL. LVD. FERD. EBER Diss. de probatione cessionis legi Anastasiane repugnantis. Ien. 1781. DE LINDEMANN Ob auch in klaren und ungewisselien Verbindlichkeiten das Anast. Gesetz ein-trete? Rostock 1782. Eiusd. Zweite Abh. über das Anast. Gesetz: Wer erhält den Ueberschufs, wenn dem Cessionario die Einrede dieses Gesetzes entgegen gesetzt wird? ib. 1783. Eiusd. Dritte Abh. betr. die Frage: In welchen Fällen hat das Anast. Gesetz keine Anwendung? Gryphisw. 1785.

PARS GENERALIS.

§. 1.

Cessionis vocabulum, si generatim accipiatur, quamcunque trans-
lationem iuris in alterum factam significat. In quo quidem argu-
mento consideranda imprimis venit actionis cessio, cuius natura
in eo posita est, quod ope illius ius aduersus certam personam ex-
ercendum in alterum transit. Actio autem, quae ceditur, si perso-
nalis est, eiusmodi translatio speciatim cessio nominum vocatur.

§. 2.

Varias quidem cessionis sensu lato acceptae diuisiones vario
respectu proponi posse, facile patet. Nam 1) ad titulum, ex quo
peragitur, si respiciamus, vel gratuita est cessio vel onerosa, prout
conuentione gratuita vel onerosa perficitur. Deinde 2) intuitu modi
in voluntariam et necessariam abit: illa libera fit creditoris volunta-
te, haec ex obligationem cedendi antea contracta oritur. Exem-
plum rei proponit Paulus * de minore, qui, cum sua sponte, nego-
tio alieno sese immiscuisset, absque mandato, imprudentia sua ani-
mique imbecillitate negotii domino praeiudicium intulerat, cuius re-
parandi

* L. 24. D. de minor. verba Pauli haec sunt: Quod si minor sua sponte
negotii maioris interuenerit, restituendus erit, ne maiori damnum acci-
dat: Quod si hoc facere recusauerit, tunc si conuentus fuerit negotio-
rum gestorum, aduersus hanc actionem restituitur; sed compellendus
est sic cedere auxilium in integrum restitutionis, ut Procuratorem eum in
rem suam faciat, ut possit per hunc modum damnum sibi propter mino-
rem contingens resarcire.

parandi causa secundum Pauli responsum minor vel ipse in integrum restitutionem petere teneatur, vel actione gesti negotii, ut auxilium sibi competens in integrum restitutionis cedat, compelli possit. Tum 3) ad ius translatum si attendatur, cessio, quae fit, est vel iuris singularis, vel vniuersalis, prout cessum ius singulare est, aut vniuersale, vtpote ius haereditarium. Denique 4) ratione formae cessio vel publica est, vel priuata, prout auctoritate publica aut priuatim peragitur.

§. 3.

Cedi autem potest quodcumque ius, cuius exercitium non est ad certam personam restrictum, * in specie omnis actio, quae non absolute a certa persona est exercenda. Itaque, licet magui nominis actionem in heredes non transitoriam etiam cedi valide posse; quo referenda videtur actio iniuriarum aestimatoria, *** nec minus inofficiosi testamenti querela, † quae species nondum in litem deductae, licet in heredes actoris haud transmittantur, cessione tamen in alterum transferri nec vlla lege prohibentur. †† E contra iniuria a certa tantum persona exercendorum rei illustrandae causa actionem litigiosam depromimus, quae, quamuis sua natura in heredes transitoria sit, pendente tamen lite in alterum cedi nequit, ††† quoniam

* *L. fin. C. de heredit. vel act. vend.*

** I. H. BOEHMER *introd. in ius Dig. C. 18. tit. 4. §. 9.* SAM. STRYCK *de iurib. et de actionib. non cessibilibus Cap. I. §. 7.*

*** *Arg. L. 32. D. ad Leg. Falcid. l. 2. §. 2. L. 17. §. 16. de iurur.*

† *L. 7. Dig. L. pen. C. de inoffic. test.*

†† *LVD. MENCKEN system. iuris civ. Lib. IV. tit. 4. §. 10.*

††† *L. 1. C. de litigios. actionis vel rei litigiosae alienatio nulla est.* Sunt tamen ICI clarissimi, qui rei litigiosae cessionem moribus nostris valere

nota illa ac peruulgata regula, pendente lite nihil innouandum esse, actionem litigiosam reddit personalissimam, eo quidem sensu, quod eius exercitium pendente lite alteri relinqui nequeat.

Neque minus exemplum iuris sua natura personalissimi prae-
bet retractus gentilitius, tantum in fauorem agnatorum introductus et
ad personam illorum restrictus. * At criminales actiones, quibus
accusator poenam publicam accusato infligi intendit, cessione haud
sunt obnoxiae: cuius rei rationem puto esse naturalem, cum his per-
secutionibus non ius actoris, sed rei publicae proprium perfequamur.

§. 4.

De personis in cessione actionum et nominum obuentionibus
plura dicere, nihil attinet. Tres enim occurrere in isto negotio con-
stat: quorum primus est Cedens, qui ius suum in alium transfert, al-
ter Cessionarius in quem ius est translatum; denique tertius cessus,
id est vetus debitor, aduersus quem actio cessa competit.

§. 5.

Omnis cessio quum alienationis speciem inuoluat, prono hinc
fluit aluco, voluntariam cessionem vi conuentionis non nisi ab eo, qui
libera de rebus suis disponendi facultate pollet, valide peragi. Ita-
que minor non prohibetur per modum vltimae voluntatis titulo legati
hereditariue ius suum in alterum transferre, quoniam eidem testa-
menti factio, sicut maiori, legibus data est atque concessa. ** In
necessaria cessione antecedit perfecta obligatio in ipsa lege aut vltima
voluntate constituta, quam negligere nefas iudicant leges.

§. 6.

dicant, quorum in numero sunt BERGERVS *Oecon. iuris lib. 3. lit.*
5. not. 22. et SCHILTERVS ac Pandectas exercit. 45. thes. 24.

* *LVD. MENCKEN l. c. §. II.*

** *L. 5. D. qui test. fac. poss. et quemadmodum testamenta fiant.*

§. 6.
 Jam cui fieri possit cessio, facile intelligitur. Diximus nimirum, adminiculante cessione ius in alterum transferri, ab eodemque acquiri. Dubio igitur caret, cessionarium oportere facultate acquirendi praeditum esse. Est autem ista facultas omnibus reipublicae ciuibus data, nisi qui ob singularem rationem speciali lege arceantur.

§. 7.

Varia in iure nostro occurrunt loca, quibus ob speciales causas factae cessioni vis ac potestas adempta est. Nec vllum sane ICTorum fugit, cessionem in tutorem factam non modo pro inualida haberi, sed et ipsum lucrum pupillo adiudicari. * Ratio in eo latet, quod metuendum est, ne pupillus fraudi exponatur. Aliud prohibitionis exemplum fitit Caius, in ea cessione, quae in potentiorum sit, ubi debitor cessus fruitur beneficio, quo nec cedenti nec cessionario quidquam praestare teneatur, siquidem illi agenti exceptionem non competentis actionis, huic autem exceptionem iuris cessi opponere potest. Causa prohibitionis in eo posita est, ne creditores occasionem quaerant vexandi suos debitores: ** quos saepe numero ipsa fortuna sinistra premit. Contra, si exulat omnis animus vexandi debitorem, omnino subsistit cessio. *** Porro nec Iudaeus nomen, quod sibi Christianus debet, in Christianum cedere potest, sub iactura iuris † ne hic vsurariae prauitatis, quam Iudaeus ob miseram conditionem exercere solet, particeps fiat. Sunt quidem inter ICTos, †† qui legem

* Nou. 72. c. 5.

** L. r. C. r. ne liceat potent.

*** MEVIVS Part. III. dec. 50. FRANTZKIVS lib. I. Resol. 10. 12. 16.

† Rec. imp. a. 1551. §. 79. Ord. polit. imp. a. 1577. tit. 20. §. 7.

†† STRYCKIVS VI. modern. Digest. lib. XVIII. tit. 4. §. 12. In prouinciis

gem ad Iudaeos in ciuitate receptos transferendam negent: ast, si dicendum obiter, quid sentiam, contrariam teneo sententiam, quoniam regula, ne Iudaeus in Christianam nomen cedat, generalis est, nec vllam inter Iudaeos receptos et non receptos, distinctionem facit, quamquam non negauerim, cuilibet principi ius esse, in sua ditioe pro rerum, quae circumstant, varietate ab illa regula, tamquam communi et priuata, exceptionem statuendi, quemadmodum in Saxonia Electorali per speciale rescriptum omnes cessiones inter Iudaeos et Christianos probatae sunt.

§. 8.

Valida cessio eum habet euentum, vt commodum iuris in cessionarium transferatur. Itaque, quum ius perfectum liceat in iudicio persequi, cessionario eadem, quae cedenti, actio competat necesse est, cui, quoniam a persona cedentis in personam cessionarii extensa est, adiectitia qualitas vtiliter tribuitur.* Negandum non est, cessionarium nomine cedentis, ceu procuratorem in rem suam agere posse, qui tamen producto mandato ad processum se legitimare debet: in priori autem casu ad causam se legitimet necesse est, producto cessionis instrumento, cui praeterea causa debendi inserta esse debet,** alias enim exceptio deficientis causae debendi obstat. Caeterum sola instrumenti debiti possessio legitimationi ad causam non

uinculis Hannoveranis Stryckii sententia recepta videtur, secundum quam aliquoties, teste PVENDORFIO Tam. II. Obs. 158. cessio intuitu Iudaeorum receptorum iudicatum fuit.

* L. 5. C. de hered. vel act. vend.

** L. 4. et 9. C. de procurat.

non sufficit, * quia nonnunquam possessio illa titulo iniusto acquiritur.**

§. 9.

Difficilis sane ac venenosa dicitur quaestio, num cessionarius, si actionem sibi cessam moueat, eodem, quod cedenti datum fuit, beneficio fruatur. In qua causa distinguenda existimo beneficia realia, quae intuitu causae siue rei competunt, et personalia, quae in fauorem personae sunt concessa. Illa cessione transire in cessionarium, nemo dubitat. Haec vero quaestionem propositam quam maxime reddunt controuersam. Alii distinguunt, cessionarius utrum procuratorio an proprio nomine agere malit; primo casu ei prodesse, altero autem non prodesse beneficia personalia defendunt.*** Alii sine discrimine docent, beneficia personalia nec vlla ratione transire ad cessionarium. † Alii denique discrimen statuunt, cessio utrum fauorem et utilitatem cedentis, an potius solius cessionarii, commo- dum concernat: priore casu cessionarium beneficio personali cedentis uti, altero idem cessare opinantur. †† In quibus opinionibus, omnium ea, quae primo loco proposita est, cum iuris analogia videtur magis conuenire. Etenim cessionarius procuratorio nomine agens *ex mandato cedentis* litem tractat, et mandans cum mandatario eandem habet personam: quare mandatarius negotium mandatum cum

* L. 22. 23. C. mandati. LEYSER *Meditt. ad Pand. spec.* 201. med. 4. SCHAUMBURG *Compend. Digest. lib. XVIII. tit. 4. §. 10.*

** MEVIUS *Part. VIII. decis. 236.* WERNHER *Obff. forens. Part. V. obs. 247.*

*** FRANTZK. l. 1. *Resol. 14. n. 1. §. 3.* SCHILTER *Exercit. 30. §. 69.*

† CARPZOV *P. I. const. 28. def. 95. n. 6.*

†† LAUTERBACH *Coll. theor. pr. l. 18. t. 4. §. 57.*

cum his, quae eidem adiuncta sunt, legitime exercet. Quodsi cessionarius proprio nomine agere malit, non fruitur beneficio cedentis, quippe quod suae personae haud est indultum. Verum id quaeritur, num cessionarius vti possit beneficio, quod personae suae alioquin competit; v. c. si creditor non persona miserabilis cedit nomen in personam miserabilem, num cessionarius ex sua persona privilegio electionis fori vti queat? quod negandum cenfeo. Conditio enim debitoris per cessionem ne fiat deterior, sana ratio summaque aequitas suadent.*

§. 10.

An cessionario, proprio nomine agenti opponi possint exceptiones, quas cessus debitor aduersus cedentem habet, in dubium vocari potest. Cessionario, procuratorio nomine agenti posse opponi omnes exceptiones, extra omnem dubitationem positum est, quoniam cedentis persona fungitur.** At in priori casu aliud obtinere videtur. Verum enim vero, re accuratius perpensa, etiam in illo statuendum est, exceptiones locum habere aduersus cessionarium proprio nomine agentem.*** Nam actio utilis sequitur naturam et indolem directae, adeoque nec maioris efficaciae, quam illa, esse potest. Accedit praeterea, quod conditio debitoris deterior redderetur, id quod nec vlla ratione permitti potest. Denique vsu fori hanc sententiam comprobari, quotidiana docet experientia.

§. 11.

* LVD. MENCKEN *system. iur. civil. l. 18. Tit. 4. §. 18.*

** LEYSER *spec. 200. med. 7.*

*** LAVTERBACH *coll. theor. pract. C. 18. T. 4. §. 61.* FRANTZK. *C. 1. Resol. 13. n. 16.* I. H. BOEHMER *introd. in ius Digest. lib. 18. tit. 4.*

Facta cessione, an cedens ipse adhuc polleat facultate agendi ob debitum cessum, quaestio est, inter Ictos agitata. Quodsi vero non ex doctorum sententiis, sed ex iuris fontibus res dirimenda est, affirmandam quaestionem existimamus. Etenim quum leges debitori factae cessionis plane ignaro solutionem suo creditori facere permittant, * dubium non est, quin cedens ipse post factam cessionem debitum cessum exigere valeat. Praeterea venditor, qui nomen vel actionem vendidit et cessit, valide quoque, re adhuc integra, cum debitore paciscitur et transigit; ** ita ut huius pacti vel transactionis exceptione etiam cessionarius repelli possit. *** Cui tamen venditor, quidquid exinde consecutus est, restituere simulque omne, quod eius interest, praestare tenetur. † Caeterum quum praxis in eo genere varia sit atque inconstans, causarum patronus hanc obseruet cautionem, ut ante quam rem aggrediatur, leges moresue prouinciales sedulo consulat.

§. 12.

Porro quaeritur, num facta cessione exceptio compensationis locum habeat? in qua enucleanda discrimen statuendum est. Nam si ante factam cessionem iam extitit mutuum debitum et creditum, ita

* L. 3. C. de nouat.: si delegatio non est interposita debitoris tui, ac propterea actiones apud te remanserunt, quamuis creditori tuo aduersus eum solutionis causa mandaueris actiones, tamen antequam lis contestetur, vel aliquid ex debito accipiat vel debitori suo denunciauerit, exigere a debitore tuo debitam quantitatem non vetaris.

** L. fin. D. de transact. LAUTERBACH coll. theor. pract. L. 18. T. 4. §. 46.

*** L. 23. D. de hered. vel act. vend.

† L. 6. C. de hered. vel act. vend.

vt compensatio locum habuerit, ipso iure actio mutua sublata fuit, nec potuit in alterum transferri: vnde cessionario, siue proprio siue mandatario nomine agenti, obstat exceptio non competentis actionis,* quae per antecedentem compensationem iam sopita fuit.** Sin vero post factam cessionem cedens sit mutuus debitor respectu cessi debitoris, inspiciendum puto, vtrum cessus debitor factae cessionis habuerit notitiam, nec ne.† Priuo casu exceptio compensationis cessat, quia, cum primum facta cessio debitori innotescit, non potest amplius cedenti creditori vere soluere multoque minus fictam solutionem virgere potest.*** E contrario optima concluditur ratio, si cessio debitori ignota fuit, locum dari compensationi: quoniam vera adhuc fieri potest solutio. Caeteroquin per se patet, cessionarium a cedente indemnem reddendum esse. †

PARS SPECIALIS.

§. 13.

Absolutis iis, quae in parte hac generali proponere mihi animus fuit, transeo ad partem specialem, naturam atque indolem legis Anastasianae explanare elaborabo, simulque ostendam, an ea lex moribus nostris reuera abrogata dici queat.

§. 14.

Legi Anastasianae occasionem suppeditatam esse lege Cincia, historiae antiquitatisque Romanae monumenta luculenter comprobant. Constat nimirum, Romulum, condita Vrbe, quia plebem a patribus

* L. 10. L. 21. L. 4. et fin. C. de compens. MAESTERT. tract. de compens. qu. 7. nr. 1.

** arg L. 76. ff. de solut.

*** arg. L. 3. C. de nouat.

† LAUTERBACH coll. th. pr. L. 16. T. 2. §. 11. in f.

tribus distinxerat, ad conciliandos coniungendosque mutua benivolentia animos, potestatem fecisse plebeiis, quemcumque vellent, et patribus sibi in patronum cooptandi, inuentis clientum ac patronorum nominibus, ut hi quidem susceptos in fidem clientes tuerentur, in iudiciis defenderent, usum commerciorum ac iuris legumque scientiam docerent, nullamque ab ipsis patrocini mercedem acciperent.* Postea, eiectione regibus, et constituta republica, ex quo eloquentia Romana paulatim inclaruit, artis dicendi peritissimi e patribus et senatoribus videntur extitisse, qui non alio, quam virtutis et honoris praemio inducti non solum populi causas orarent, verum etiam tenuiorum e plebe hominum ad se confugientium patrocinia, ad exemplum veterum patronorum, gratis susciperent. Quo facto cum plebeios istos sibi non minore, quam veteres patroni clientes suos, fide, obseruantia et cultu addictos haberent, patronorum et clientum appellatio exinde in forum deduci et ad oratores, eorumque auxilio ventres non inepta transferri analogia coepit. Poetis haec clientum et patronorum nota per familiaris est. Sufficiat in praesenti vna Aufonii auctoritas ex elegantissimo de ambiguitate vitae eligendae idyllio

— — esto patronus

Et defendere reos, sed gratia rara clientis

Esto cliens:

Gravis imperiis persona patroni

Solius autem officii gratia, cui merces contraria est, hinc adque studio, plerosque veterum oratorum causas suscepisse peragendas; eloquentiae Romanae princeps Cicero testimonium fert.**

§. 15.

* DIONYSIVS Halicarn. lib. II. p. 84.

** Cicero L. II. de offic. "Diserti igitur hominis, et facile laborantis, quodque in patriis est moribus, multorum causas et non grauate et gratuito defendentis beneficia et patrocinia late patent."

§. 15.

— *de* Aureorum vero nummorum auiditas sensum patronorum animos foedabat, ita, vt laudabilis pristina consuetudo gratis clientes defendendi in commercium pecuniarium degeneraret. Quem prauum morem verborum fulmine tangit Ouidius:

“Turpe reos emta miseros defendere lingua
Quod faciat magnas turpe tribuat opes.”

Quibus conueniunt verba Quinctiliani: Nam vt primum lingua esse coepit in quaestu institutumque eloquentiae bonis male vti, curam morum, qui disertis habebantur, reliquerunt. — Postea M. Cincius Alimentus, tribunus plebis a. v. c. 549. lata lege pristina consuetudinem reuocare nitebatur. Quam in rem inter caetera cautum legimus: ne quis ob causam orandam donum munusue capiat; id quod soli Tacito * acceptum ferendum est. Scribit nempe: Consurunt patres, legemque Cinciam flagitant, qua cauetur antiquitus, ne quis ob causam orandam pecuniam donumue accipiat. ** Salutarem hanc legem nonnisi imperfectam fuisse, et sanctione poenali caruisse, vulgaris est opinio, quae Iac. Cuiacii *** auctoritate maxime inualuit, atque ex Vlpiano † profecta est. Enimvero mancum esse Vlpiani locum verbaque de imperfecta lege nonnisi a Cuiacii ingenio profecta, ex iis, quae Meermannus †† opem auxiliante Dositheo Grammatico in

* TACIT. *Annal. lib. II. c. 5.*

** Egregie omniumque optime rem exposuit FR. BRUMMERVS *Commentar. ad legem Cinciam*, qui exstat in *Brummerianis* a Ge. Beyero (Lips. 1712.) editis.

*** CUIACIUS *Paratitl. Dig. de condiç. ex lege.*

† VLP. *Fragm. I. I.*

†† MEERMANNI *Animaduers. ad Vlpiani Titulor. Fragn. in Thes. iur. Tom. VII. p. 741.*

in fragmento de iuris speciebus et manumissionibus a Rouerо edito resituit, satis patet, et Io. Aug. Bachio * demonstratum est. — Sub Augusto poena legis Juliae repetundarum extensa est SCto a. v. c. 735. in patronos, pecuniam pro suo patrocinio accipientes, ** id quod varios Ictos induxit, vt crederent, lege Julia ipsa patrocinium sub donis fuisse prohibitum. Sed Imp. Claudius causidicorum impudentiae et fraudibus nimis indulgens, dum omnia magistratuum munia ad se traheret, violationi legis Cinciae et aduocatorum praeuariatibus latissimum campum aperijt. *** Aduocatis dabat licentiam exigendi honorarium, quod non ultra centum aureos extenderetur. † Pretii definitio iudicis arbitrio permissa fuit, qui pro modo litis, pro aduocati facundia et pro fori consuetudine illud aestimabat. ††

§. 16.

Honorario centum aureorum a Claudio introducto, causidicorum cupiditas clientum bona ad se trahendi non fuit extincta. Varias paulo post excogitarunt artes, quibus clientum bona haud raro ad nihilum reducerent. Solebant enim causas et lites clientum quasi suas suoque periculo suscipere, sub pactione vel tertiae vel quartae vel dimidiae partis, quod Imp. Seuerus et Antoninus Caracalla vocant suspensa lite societatem futuri alimenti cauere, ††† item Diocletianus et Maximilianus *litis incertum redimere* 1) vnde, qui illud agerent, *redemptores*

* BACH. *diff. de L. Anast. §. 1.*

** DIO CASS. *lib. LIV. p. 533.*

*** TACITVS *Annal. XI. 7.*

† PLINIVS *lib. V. epist. 21.*

†† L. 1. §. 10. D. de *extraord. cognit.*

††† L. §. 12. *Dig. eod.*

1) L. 20. C. *mandat.*

emtores sitium Vlpiano * dicuntur. Prohibito hoc modo, alium excogitabant. Stipulabantur nimirum sibi certum praemium victoriae, quod *palmarii* nomine venire solet; ** quod ut tanto certius acciperent, huius praemii summam mediante stipulatione in imaginarium mutui contractum mutari curabant: quibus fraudibus tandem variis legibus obstraculum positum fuit. Sed mox, postis impedimentis, alium inueniebant modum, quo summum lucrum caperent. Vtebantur interpositis personis, quibus explorandum committerent, quis actionem alicuius momenti haberet: inuentum denique creditorem simulata exactionis difficultate commouebant, ut actionem suam pro vili pretio venderet. Haec fraus suggerebat materiam legi Anastasiana, de qua nunc dicendum est.

§. 17.

Nimirum nominum venditiones, ad quas vili pretio contrahendas creditores variis artibus inducebantur, quod, quum creditorum bona saepe inuenterentur, reipublicae maximo erat detrimento, lege demum Anastasiana iustis limitibus circumscriptae sunt. Argumentum sanctionis huius salutaris in *L. 22. C. mand. occurrens* verbatenus proponendum censeo, antequam naturam et indolem altiori examini subiiciam. Verba haec sunt:

*Per diuersas interpellationes ad nos factas comperimus, quosdam alienis rebus fortunisque inhiantes, cessiones aliis competentium actionum in semet exponi properares; hocque modo diuersis personas litigatorum vexationibus officere: cum certum sit, pro indubitatis obligationibus eos magis, quibus antea competebant, iura sua vindicare, quam ad
alios*

* *L. 9. §. 1. D. de offic. proconsul.*** *STRVBEN reshl. Bed. Tom I. n. 104.*

alios ea transferre velle. — Per hanc itaque legem iubemur, in posterum huiusmodi conamem inliberi: nec enim dubium, redemptores litium alienarum videri eos esse, qui tales cessiones in se confici cupiunt: ita tamen, ut si quis datis pecuniis huiusmodi subierit cessionem, usque ad ipsam tantummodo solutarum pecuniarum quantitatem et usurarum eius actiones exercere permittatur —

Ex quibus verbis facile intelligitur, legem Anastasianam supponere 1) venditionem nominis, 2) pretium nomine vendito vilius, 3) emtorem lucrum e damno venditoris capere cupientem.

Sententia igitur legis, si in pauca contrahatur, haec est: Alienas actiones nemo in se transferto: si quis fecus faxit, ultra quantitatem pretii numerati, et usurarum eiusdem, debitor ne condemnator. * Ac in similem epitomen ipse Iustinianus ** coniicit: Ut ne quis alienum subeat debitum, cessione in eum facta, et ne amplius a debitore consequatur his, quae praestitit cessionis auctori.

§. 18.

In ista lege etfi qualitas nominis non omni modo definita esse videtur, in nominis tamen venditione generatim eadem, quae in aliis venditionibus desiderari facile intelligitur. Quare tria adsint, necesse est. Primum enim verum esse debet nomen; *** quoniam venditio, in qua aut nullum plane nomen exstat, aut id, quod exstat, exceptione peremptoria in perpetuum tolli potest, omni prorsus efficacia destituitur. Deinde mutus consensus emtoris et venditoris requiritur. Denique pretium, quod ad nominis venditi quantitatem aliquo modo accedat, statutum esse, exigitur. Bonum autem nomen esse, non

* Ita REINOLDVS *Var. cap. 31.*

** *L. 23. C. mand.*

*** I. H. BOEHMER *introd. in iur. Dig. L. 18. T. 4. §. 8.*

non necesse habet venditor, vt caueat, * nisi nuda sublit assignatio **
aut dolus vendentis fit probatus. ***

§. 19.

Lex autem Anastasiana, vt locum habeat in nomine vendi-
to, haec fere desiderantur. Primum quidem pretium emtionis vilius
et modicum sit, necesse est. Qui enim iusto pretio emit, non potest
dici litis alienae redemptor et bonis alienis inhiare. † Iustitiam vero
pretii non exacte putamus aestimandam ex quantitate debiti et valo-
re rei debitae, cum et sumtus in petendo et euentus executionis pos-
sit esse incertus, et cogitanda sit mora temporis, quod datur iudica-
tis: reipropter in iusto et vero nominis pretio definiendo quoque
oportet respicere ad debiti securitatem et certitudinem, probationis
facilitatem, debitoris qualitatem, et alias loci atque temporis cir-
cumstantias, propter quas haud raro accidit, vt actionis competen-
tis iustum pretium minori summa constet. ††

§. 20.

Deinde requiritur, vt emtor speciali conamine adhibitis per-
suasionibus venditorem ad contrahendum quasi induxerit, ††† idque
vel debitoris laceffendi et vexandi causa vel improbi lucri et foenoris
captandi

* L. 4. D. de hered. vel act. vend.

** HUBER tit. mandat. D. §. 5. COCCII diff. de assignatione. §.
10.-24.

*** BRUNNEMANNVS de cess. act. c. 5. n. 4. sq.

† MEVIUS Discuss. leuam. inop. debitor. cap. 7. n. 28. inquit: nam in-
culpata est cessio, quae fit interueniente iusto pretio.

†† LAVTERBACH Coll. theor. pract. L. 18. T. 4. §. 63. et 64.

††† L. 22. C. mand. ibi: alienis rebus inhiantes, properare.

captandi gratia. * Si quis igitur motu proprio et probabilem ob causam, licet modico et viliori pretio, vendat alimue ad emendum infuget, venditio et cessio in totum valebit. **

Sunt quidem inter recentiores iuris interpretes, *** quibus contraria placeat sententia, omnesque eiusmodi cessiones, sine discrimine, quaesitae ab actore fuerint dolo ac fraude, nec ne, prohibitae videantur, propterea quod lex vniuerse loquatur, nec discrimen diferte statuatur, verbaque in prooemio obuia occasionem tantum, non ipsam legis functionem enarrent. Enimvero, etiamsi a verbis initialibus argumentum certum satis ac firmum repetere nolimus, ipsa tamen legis mens et ratio, praecipue si cum his, quae ante legem latam in venditorum fraudem saepe facta sunt, comparaueris, me quidem commouent, vt antiquiorum Ictorum opinionem eo in genere praefendam existimem.

§. 212

Anastasio constitutio, an in actionibus certis quoque et indubitatis locum habeat, nonnulli in dubium vocarunt, † quod nemo indubitata actionem venditurus sit. Verum rationem legis si impliamus, nec difficile iudicatu erit, etiam in indubitatis actionibus eandem

* CARPZOV Part. I. decis. 67. n. II.

** STRYCK Vj. mod. L. 18. T. 4. §. 8. BERLICH Part. I. decis. 33. n. 26. LAVTERBACH coll. th. pr. L. 18. T. 4. §. 71.

*** Videlicet REINOLDVS l. c. cap. 32. et BACHIVS diff. mem. §. 3.

† SANDE de act. cess. cap. II. II. 25. LENZ de cess. action. c. 25. pr. n. 4. WERNHER sel. obs. for. P. I. obs. 181.

dem legem obtinere. * Potest enim aliquis certae actioni aequae ac incertae et controuersae inhiare. — Dein actio certa respectu euentus executionis aliqua ratione sit incerta. Accedit praeterea, quod, licet quis habeat indubitatan actionem, aere tamen alieno pressus, pecuniaque destitutus facile commoueri queat ad actionem suam alteri vendendam. Quum itaque in vtraque specie actionis et dubiae et indubitatae eadem adsit ratio, eandem et legis dispositionem obtinere oportet.

§. 22.

Quaestio sane intricata iam attingenda est, superfluum nempe, quod pretii soluti quantitatem excedit, et ab emtore exigi nequit, ad quemnam pertineat: qua de re ICI in varias partes abeunt. Sunt, qui filco illud adiudicandum arbitrentur; ** rationibus hisee commoti, quod tum debitori nunquam adiudicetur, tum cedens superfluum in poenam amittat, tum denique huiusmodi cessio sapiat vsurariam prauitatem, quae puniatur amissione partis filco adiudicandae. Alii venditori tribuunt, quod superest. *** Alii denique reum immunem declarant a praestatione residui. Mihi vero placet sententia illorum, † qui hic distinguendum censent, vtrum venditor et cedens ab emtore et cessionario inductus bona fide et sine omni simulatione nomen suae actionem vendiderit et cesserit, an vero inter illum et emtorem collusio quaedam in fraudem legis interuenerit, et ipse quoque doli et fraudis particeps sit. Priori casu cum venditio et cessio quoad superfluum

* I. H. BOEHMER *Dig. lib. 18. T. 4. §. 4.* LAVTERBACH *coll. th. pr. l. i. §. 74.* MENCKEN *system. iur. L. 18. T. 4. §. 20.* REINOLD. et BACH. *ll. cc.*

** CARPZOV *L. 5. resp. 33. nr. 27. seq.*

*** I. H. BOEHMER *Dig. L. 18. T. 4. §. 12.*

† LAVTERBACH *coll. theor. pr. L. 18. T. 4. §. 77.*

fluum in odium cessionarii fit irrita et pro infecta habeatur, * venditor vero cedens nihil poena dignum commiserit, nullaque addit constitutio, quae innocentem venditorem et cedentem residuo priuandum esse statuat, sua sponte sequitur, ipsum quoad residuum actionem suam saluam habere et retinere; nec illud, quod in odium et poenam emtoris et cessionarii constitutum est, ad venditorem cedentem esse extendendum. ** Posteriori vero casu et cedens et cessionarius iure suo in superfluum priuantur, idque debitoris lucro cedit. Quoties enim creditor propter delictum aduersus debitorem commissum actione sua priuatur, regulariter et si aliud haud reperitur constitutum, pertinet illud ad debitoris lucrum, *** atque in lege Anastasiana aliud quid constitutum inuenitur. Per se itaque patet, superfluum hoc casu pertinere ad debitorem. Praeterea huic opinioni adstipulatur regula, in dubio contra fiscum esse pronuntiandum. †

§. 23.

At legis Anastasiana eludendae causa alium excogitarunt cessionis modum. Nimirum duplicem introduxerunt conventionem; partem nominis vendendo, partem donando. Sed et huic fraudi obuiam iuit Imperator Iustinianus, fancies, ne pars titulo donationis in emtorem translata exigi queat: †† immo si quis donationem quidem omnis debiti facere adsimulauerit, vt videatur tota donatio, sed aliquid occulte susceperit, tunc tantum exactio vrgeri potest in totum, quantum datum comprobatur. †††

§. 24.

* L. 22. C. mand.

** arg. L. 41. D. de poen.

*** arg. L. 12. ff. quod met. caus. L. 7. C. unde vi.

† L. 10. D. de iure fisci.

†† L. 23. §. 1. C. mandata.

††† L. cit. 23. §. 2.

§. 24.

Introducto cambii negotio, aliam caussarum patroni suppeditant cautelam, qua adhibita legem Anastasianam cessare putant.

Suadent nimirum, ut cessi nomen in formam cambii transferatur, quo facto ob processum executivum exceptioni legis Anastasianaee locum dari negant. Vereor autem ut hac cautela omne tulerit punctum. Equidem haud ignoro, in processu cambiali exceptiones in continenti non liquidas reici: sed ideo tamen debitor cessus non statim exclusus est a iuramento deferendo, quod cessionarius non facile declinabit. Faciamus, adeo in hoc processu debitorem condemnari ad totum debitum soluendum, per separatam tamen processum superfluum solutum conditione, ex lege repetere haud prohibetur.

§. 25.

Nova in negotio cambiali emergit quaestio: num lex Anastasiana in cessione cambii usum habeat? — quae nonnisi mediante distinctione resolui potest. Nimirum res eo redire videtur, quod cessio cambii facta fuerit extra litteras cambiales vel minus. Accidit nonnunquam, ut creditor ius suum ex cambio descendens alteri peculiari scheda vel instrumento cedat. Cuiusmodi cessio extra cambium facta iura quidem cedentis in cessionarium transfert, ipsa tamen pro negotio cambiali habenda non est, quod quippe ex literis cambialibus pendet: Igitur cessio ista ex iure communi est diiudicanda, atque omnia, quae alias in cessione obtinent, hic quoque locum tenent. Quae cum ita sint, necesse est ut merus eiusmodi cessionarius legi Anastasianaee sit subiectus, atque exceptionem contra se admittat,* si vero cambium in ipsis literis siue indossamento ceditur, inspicendum est, vtrum indossans summam valutae expresserit, nec ne. — Ibi exceptioni

* LEYSER spec. 20. med. 3.

exceptioni legis Anastasianaë datur locus, quoniam fraus facillime in oculos incurrit; * hic autem exceptio legis Anastasianaë a debitore opponenda haud admittitur, quia processus cambialis rigor nullam admittit exceptionem altioris indaginis, qualis est exceptio legis Anastasianaë in ista specie proposita.

§. 26.

Adferendae iam sunt causae, in quibus per modum exceptionis lex Anastasiana exulat. Sunt autem exceptiones aliae ipsa lege expressae, aliae a Doctoribus adiectae. Nos quidem hasce non curamus: illae vero *L. 22. C. mandati* recensentur.

Cessat videlicet 1) in diuisione hereditatis communis, ubi heres coheredi nomen solidum cedit, isque procurator fit in rem suam, quamuis minore summa, quam debebatur, promissa; id quod propter incommoda exactionis et solutionis partium contingit: deinde 2) in cessione, quam creditor, vel is, qui res aliquas possidet, pro debito rerumue apud se constitutarum tuitione accipit: in qua specie comprehenduntur duae, prima si debitor ex mutuo nomen actiuum creditori suo in solutum dat, cui etiam minus debebatur, quam est in nomine cesso, altera si creditor hypothecarius posterior, qui rem sibi oppignoratam possidet, a priore hypothecario ius hypothecae antiquius ac potius minore pretio cessum accipit *** item 3) inter legatarios aut fideicommissarios, cum, nomine duobus in vltima voluntate legato, et ab herede cesso, actio ad idem exigendum vni ex collegatariis a ceteris ceditur, vel, re pluribus collegatariis relicta, rei vindicatio mandatur vni a ceteris: denique 4) in cessione per donationem facta, siue in exceptis causis, siue in aliis. † Ad postremam speciem

* Idem l. i. med. 6.

** Idem l. i. med. 4.

*** DONELL. ad *L. 22. C. mand.*

† REINOLD. l. c.

speciem quod attinet, fraudem legi factam esse, dum partem debiti venderent, partem donarent, supra diximus. Has quidem calumnias Iustinianus *L. 32. pr. C. mand.* reprimendas putavit, ceterum legem Anastasianam firmavit. Silentio hic non praetermittendum est, Imperatorem postea sententiam suam mutasse, et alia Graeca constitutione, quae *L. ult. C.* exstat, a Cuiacio * restituta ex libris βασιλικῶν, ad omnes actionum cessiones minore pretio etiam in causis ab Anastasio exceptis factas, nisi ad eam, ubi tota actio donata sit, legem Anastasianam transferri voluisse. Sed uti ceterae constitutiones restitutae, ita haec, quia in foro recepta non est, neque in omnibus Codicis editionibus inuenitur, usu et auctoritate caret. **

§. 27.

Si cessionario actionem mouenti exceptio legis Anastasianae opponatur: quaeri potest, cuiam incumbat onus probandi, cessionarium viliori pretio actionem redemisse: Tenendum autem, cessionarium non posse plus exigere, quam reuera soluerit. Quodsi igitur se iustum pretium dedisse adserit, in eo ponit agendi intentionem: quae, cum ex facto pendeat, si negetur, probatione indiget. Hinc facile colligitur, cessionario onus probandi incumbere, *** quod non remouetur cedentis confessione, sed necesse est, ut solutionem vere factam aut testibus aut instrumentis aliisue argumentis idoneis, quin et iureiurando probatum det. †

§. 28.

* CUIAC. *Obsf. XVI, 16.*** LAUTERBACH. *l. c. §. 71.**** STRUBEN *rechtl. Bedenk. Tom. IV. resp. 190.*† CRAMER *Obsf. iur. uniu. Tom. I. obsf. 287.*

Restat, de usu legis Anastasiana. vt paucis dicamus. Sunt, qui cum Chr. Thomasio * omnem hodie illius usum negent. ** Rationes Thomasio repetit ex eo, quod ius civile in Germania aequitati cedat. Largior id iudicium non adest. Certe Iustinianus ipsam legem Anastasianam in *L. 33. C. mandati* ab aequitate et humanitate commendat. Deinde ait Thomasio, Anastasium, dum legem suam conderet ad legem Cinciam maxime respexisse, eamque contra fraudes aduocatorum tueri voluisse, quae lex quum ob mutatam rerum faciem hodie cesset, cum ea simul legis Anastasiana usum corruiere. Verum diu ante Anastasium lex Cincia oblitterata atque neglecta fuit, et aduocatis cum clientibus suis pacisci permiffum, quemadmodum supra iam demonstratum dedimus. Quae cum ita se habeant, non potuit profecto ad eam respicere Anastasius. Praeterea quae lex verbis generalibus proposuit, ea ad solos aduocatos restringi nequeunt. Porro prouocat Thomasio ad varias leges prouinciales, quibus legem Anastasianam renouatam confet. Verum iis perpensis quibusque facile intellexerit, iis stabili potius hanc legem, quam abrogari, et nouas quasdam qualitates iis, quae ab Anastasio constitutae sunt, additas esse. Fortissimum denique argumentum, quod vrget, in eo collocatum est, quod facile eludatur ista lex, quin multitudine exceptionum a D. D. excogitatarum prorsus obruatur. Sed ad dubium illud respondere liceat, quod doctores nullam formare possint exceptionem, quae legis Anastasiana rationi repugnet, quaeque vim legis Anastasiana in Germania aequae ac in prouinciis Romanis regnat, necesse est, vt ne vnquam ab hac lege recedamus. Quidquid igitur Doctores contradicant, nullum meretur fidem, aut, si etiam vnquam alteramue constitutionem allegare valeant, qua haec lex abrogari legitur, nulla inde ponenda regula, legis Anastasiana usum in tota Germania exulare. Quamobrem non dubito in hac quaestione amplecti sententiam acutissimi Leyseri *** cui mores Germaniae statutaque haud ignota fuerunt, quique legi Anastasiana usum in foro Germaniae communi concedendum haud dubitauit.

* CHR. THOMASIVS disp. de aequitate cerebrina et exiguo usu practico legis Anastasiana. S. 3. seq.

** Inter illos referendus CAR. FERD. HOMMELIVS Rhaps. obs. 53r.

*** LEYSER. specim. 203. medit. I.

Helmsstädt, Diss.; 1786-95

ULB Halle


3

004 327 586



f
56.





DE 1794
1602
10

IVSTIS LIMITIBVS
LEGE ANASTASIANA
NOMINIS CESSIONI POSITIS
SPECIMEN

QVOD
ILLVSTRI IVRECONSVLTORVM ORDINI
IN ACADEMIA HELMSTADIENSI
PRO
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS OBTINENDIS
MENSE NOVEMBRI A. C. MDCCLXXXI.
EXHIBVIT
IOANNES CHRISTIANVS SCHELE
ADVOCATVS CELLENSIS.

HELMSTADII
LITTERIS C. G. FLECKREISEN, TYPOGR. ACADEN.
MDCCLXXXIV.